DISPUTATIO POLITICA DE FOEDERIBUS QUAM ADJUVANTE SUMMI NUMINIS GRATIÂ IN ILLUSTRI AD ALBIUM...

Johann Parpard, Anton Fuchs, Valenti Gonzaga

Ἐφόδιον

IN rebus humanis ita comparatum est, ut nullus ferè Populus existat, cui non æmulum aliquem adversarium Deus excitavit, dicente Cominæo. Nec quælibet Respublica semper in procinctu quasi stare, incursionesq; hostium expectare & excipere potest, cum omnis Respublica suam habeat debilitatem, ut nobis suggerit Boterus. Quanta ergò fœderum in Rep. necessitas, quanta utilitas siet, quisq; videt, nisi lolio victitârit. Nullum enim efficacius remedium occurrit, quàm fœderum sancta custodia, si Remp. tutiore loco contra quosvis hostium insultus, Teq; contra omnes albentis invidiæ ictus conservare ac tueri desideraveris. Unica virtus validior est & hosti terribilior. Malè hinc sibi consulunt Neutrales, quos vocant, quippe qui inter duas partes penduli nusquam stabilem inveniunt gratiam. Præclara sunt & ex prudentiæ hausta fonte, quæ *Livius 32.21.30. de Aristhæneto Achæorum Pretore* tradit. is cùm audisset consilium *Cleomedontis* dicentis, in bello inter Romanos & Philippum, Achæis expedire, ut medios se gerant, armisq; abstinentes quiescant, respondit in hunc modum: *Quod Cleomedon modo tanquàm mediam & tutissimam vobis viam consilii ut quiesceretis, abstineretisq; armis, ostendebat, ea non media sed nulla via est.* Et rationem subjicit; Etenim præterquam quod aut accipienda aut aspernenda vobis Romana societas est; quid aliud, quam nusquam gratia stabili, velut, qui eventum expectaverimus; ut fortunæ applicaremus nostra consilia prædavictoris erimus? Et v 33. Hos si socios aspernamini vix sanæ mentis estis; sed aut socios aut hostes habere oportet. Ex quibus satis elucescit non semper locum habere dictum illud *Phœbi ad Filium*, quod inter Ovidiana extat —— *Medio tutissimus ibis:* Contra exinde liquet, fœdera & uniones publicè necessarium in omni Rep. obtinere usum. Quare non abs re facturum, nec operam me perditurum existimo, dum in fœderum naturam diligentius inquirendo paululum industriæ inten-

dam, atq; rem ipsam sine ulteriori verborum malagmate aggrediar. Jactâ aleâ Jesu bene cœptis adspira!

I. De fœderibus impræsentiarum dissertaturo, quædam præliminaria necessario præmittenda sunt, quæ rei proprietatem monstrent. Cum enim multum momenti positum sit in pure & simplici verborum explicatione, inconsultum foret, prius rem ipsam determinare; quam fallaces terminorum ambiguitates evolverimus. Ne ergò in vado hæreamus illæsâ disputationis nave, significata rectè distinguamus, unde fœdus dicatur paucis indagemus. Alii derivant à fœdè adverbio & cædendo, quia apud Romanos ad fœdera facienda utrinq; *Feciales* adhibebantur, qui firmato fœdere porcum cædebant silice, ejusmodi exitium imprecantes capiti ejus, qui prior fœdus violasset. Nonnulli v. *fœdus* vel *fedus* à fide deducunt; quod federati alii aliis fiderent cùm fides publica & cum aliis ceremoniis data sit fœderum anima & tutamen. Hinc Hebraice בְּרִית cui affine est verbum בָּרַת i, e, *pepigit, fœdus enim* est pactum solenne. Et בָּתַר *dissecuit*. Nam fœdera, ut fida magis fierent, rataq; planè haberentur mactatione pecudum cum solenni imprecatione feriebantur. Διαθήκη græcè pro ceremoniis, quæ in fœderum pactione observabantur. Sed fœderum percussores, qs. interpretes pacis σπονδοφόροι sunt dicti. Ubi tamen peculiariter in fœderibus observandum, quòd post meridiem fœdus percutere non licuerit Romanis, item quod ab urbis principio in pactionibus pacis pro verbena sumpta fuerit myrtus, annotante *Joanne Fungero in Lexic. Philolog.*

II. Quoad Homonymiam fœderis vocem variè usurpari cernimus (1) pro necessitudinis & amicitiæ vinculo; quod fœderis genus in optimis Amicis occurrit; quales fuisse legimus in sacris Davidem & Jonathan, qui fœdus ejusmodi pepigisse dicuntur (2) sumitur pro fœdere conjugii ut Ovid. 11. Metamorph. testatur: Illibata thori da tantum fœdera prisci *(3)* pro lege lata ut libr. 1. Aeneid. - Regemq; dedit qui fœdere certo, & premere & laxas sciret dare jussus habenas (4) pro contractu publico publicæ amicitiæ, mutui auxilii, commerciorum aliorumq; gratia, quorum Reip. usus esse possit à diversis civitatibus inito.

III. In hac ultima acceptione nostræ considerationis est

& de-

& definitur à Warcmundo ab Erenberg in meditam. pro fœdere l.1. c.1 n.14. quòd sit *principum duorum vel plurium aut populorum aut Civitatum liberarum conventio publica & pactio inde finitè l. ad certum tempus, justè legitimè & necessariò ad repellandam vim; ad rem communem vindicandam, vel injuriam à communi hoste illatam, vel mutuam amicitiam retinendam ac mutuis auxiliis ad hostem persequendum initio l. tractu temporis existentem inita, jure divino, gentium & civili introducta; ac hodiè plerumq; jurisjurandi Religione & datis obsidibus ceu fidejussoribus & scriptura interveniente approbata.*

IV. Per conventionem publicam definimus fœdus, ut excludantur ea, quæ ad privatos parietes pertinent; qualia sunt negotia Principis suam salutem concernentia & illa, quæ ad privatorum contractus pertinent, qui licet utriusq; contrahentis mutuus sit contractus; fœdus tamen ferire minimè possunt. Sunt enim jura ineundorum fœderum ad jura Majestatis referenda; quâ nisi quis munitus fuerit, fœdus inire nequit. Inferiores enim nõ nisi superioris autoritate ferire fœdus cum aliis possunt; nisi verisimiles offensionem metuant & vim iniquã à superiore imminentẽ; sed juris permissione superiores de rebus licitis & honestis fœdera inire possunt; quando superiores non agnoscunt. Principibus verò & ordinibus imperii nostri ex antiquo libertatis jure & privilegio speciali concessum est pacis publicæ conservandæ, libertatis tuendæ suæq; defensionis ergò vel cũ seipsis l. cum externis fœdus pangere; ut in *Aurea Bulla Tit. 15. expressum est.*

V. Sponsio verò publica est aliquid diversum à fœdere, nempe eum *Duces* aut *Magistratus*; penes quos non patet summa potestas, de eo, quod Reip. est spospondꝫrunt. Quod si sponsio rei; cujus speciale mandatum non habuere improbetur à Rege, vel civitate, nihilominus ille, qui spospondit, tenetur aut ad id quod interest, aut ad restituendam rem in eum statum, in quo erat, ante sponsionem, aut ad sesesipsum & sua defendendum: ut si legatus absq; jussu principis pacem iniret cum hoste, rationem dare teneretur facti; inq; priorem statum rem transferre cogeretur; aliàs ei sponsio non impunè abiret. Ex sponsionibus enim Magistratuum civitas aut Rex non obligatur.

VI. *Conventio datur duorum l. plurium Principum l. populorum vel civitatum liberarum.* Per principem quid intelligatur, forsan manifestum est. Populi nomine veniunt; qui vel ex concessione principis l. ex contractu vel ex privilegio jus ineundi fœderis pacti sunt.

Liberæ civitates autem nobis ſunt illæ, quæ immediatè Imper. Rom. ſubjectæ ſunt. Ubi non excluſas volumus, quæ in fœdere Hanſeatico continentur, de cujus ſenſu & origine, ut ſenſus verborum clarior fiat, paucula in medium proferam. Anſeaticæ ergò civitates illæ ſalutantur; quod maxima illarum pars mari ad jaceat, vel ut alii hoc nomen derivant ab inſtrumento pangendi fœdera; h.e. manu; ut *civitates quaſi Hanſeaticæ dicant:* die ſich mit einem Handſchlag mit einander verbinden; vel deniq; hujus nominis origo trahitur ab ipſo fœdere vel Concilio, quod priſcis germanis dictum fuit Hanſa; Quod ultimum admodum probabile videtur. Quicquid tn. ſit de origine iſtius vocis; hoc tamen certò certius eſt; nullas alias urbes nomine Hanſeatico inſigniri præter ſolas Germanicas maritimas & quæcunq; in illarum ſocietatem admiſſæ fuerunt; gaudentes jure claudendi & aperiendi portas ſuas, ſive Principem agnoſcerent, ſive planè liberæ esſent. Hæ verò à *Finnico* ſinu, qui incipit ab ultimo *Balthici* maris receſſu, extenditq; ſe ad *Rheni oſtia*, iſtud fœdus fecerunt; cum olim ab *Hunnis Barbarisq;* gentibus Germania immaniſſinè vexaretur eò magis metuendis; quod jam Saxoniæ maritimæ, Pomeraniæ *Megapolenſi & Brandenburgenſi* tractui imminerent. *Lubeca* tamen primum in conſesſu locum occupat tanq. totius *Hanſeatici corporis* caput, quia in medio quaſi ſita eſt, habet archiva ſocietatis hujus & jus convocandi vicinas urbes, ut ſunt vandalicæ urbes quinque; *Hamburgum Roſtochium, Wismaria, Stralſunda; Luneburgum & Pomeranicæ; Stetinum, Anclamium Golnavia, Gripſwalda Colberga & Stolpa.* Cœterum ut commercia eò melius inſtitui, mercesq; eò commodius per univerſum orbem diſtribui posſent, quatuor conſtituta ſunt emporia: nempe *Londinum in Britannia, Novogardia in Ruſſia, Brugæ in Belgio & Berga in Norvegia.* Ne verò tanta debellaretur multitudo & ſuperaretur univerſa, dum ſingulæ pugnarent partes, maturè adverſus quosvis hoſtiles inſultus ſeſe conſtrinxere fœdere. Quod quamvis initio Regibus ac Principibus formidabile ac ſuſpectum videretur; Poſtea tàm prudentisſimæ confederationis utilitatem experti, Hanſeaticarum civitatum amicitiam ambiverunt. Nam illæ cum claſſe opibus esſent potentisſimæ; potentisſimam reddidere partem, cui ſe viribus ſuis adjunxerunt. Huic ergo ſocietati *Henricus III. Anglorum Rex* diplomate Anno 1206. in *Anglia Londini* privilegia ſua ſocietati huic confirmavit; quæ à majoribus ſuis jam data affirmavit,

mavit,

mavit. Cumq; contra *Hunnos* Germaniam infestantes hæc inita sit societas antiqvior utiq; Henrici aucupis erit imperio; quod incidit in Annum Christi 920. Tum enim *Henricus Palabundos Hunnos ad Danubium* propulit, & ab iis Germaniam ex parte liberavit. Plura qui desiderat, adeat JCtos, qui prolixè de hac materia tractant, inprimis Angelium Werdenhagen.

VII. Dividuntur autē fœdera diversimodè. Sunt enim fœdera, l ex jure naturæ, vel ex eo, quod adjicitur juri naturæ. Fœdera ex jure naturæ sunt, quæ idem constituunt quod jus naturæ & esse debent inter omnes homines, quæ inter se cognationem à natura habent. Inter quos igitur bellum non est, eorum alterum nefas, ab altero lædi, vel latrociniis infestari. Natura enim sic omnes, etiamsi nihil antea contraxerunt, fœderatos constituit, ut pacem concordiam, jusq; hospitii sibi invicem utrimq; debeant; nec sibi noceant. Et huc pertinent fœdera naturalia inter sangvine junctos; item qui dicuntur beneficia de benefaciendo. Fœdera; quæ juri naturæ aliquid adjiciunt, sunt, quæ certis pactionibus intervenientibus fiunt. Quam distinctionem habet *B. Micralius Reg. Polit. scient. l. 2. c. 9.*

VIII. Fœdus ratione Rei, obquam contrahitur; est vel *defensionis l. commerciorum vel* utroq; modo. Defensionis est quod suscipitur ab aliquibus de mutuo auxilio præstando inter sese, cujusmodi fœdus est Christianorum contra Turcas & confœderati Belgii in priori seculo contra Hispanum. Commerciorum est, quod superiores ineunt, ut mercimonia ultro citroq; & plerumq; sine vectigalis solutione exponere, vendere & coemere possint; quale est fœdus Anseaticum; quod olim civitates maritimæ contraxerunt; cum ab Hunnis, barbarisq; gentibus Germania immanissimè vexaretur. Itaq; ut mercaturam melius exercerent fœdus multis Regibus ac Principibus metuendū inierunt. Utroq; modo sc. *ratione defensionis & commerciorum simul est*, quod ad præstanda mutua auxilia & commercia liberè exercenda initur: Quale fœdus quoq; est *Hanseaticū* illud: Nam si oppositum est *Barbaris & Hunnis* oras maritimas vastaturis, erit defensionis mutuæ, *si spectentur commercia* commodius hoc fœdere exercenda, erit fœdus commerciorum; aut rerum aliarum, ne in confinio alterius alter arces habeat, vel iter alterius hosti præbeat.

IX. Durationis ratione fœdera alia sunt perpetua (quæ alias vocant realia.) Hæc tamdiu durant; quamdiu Gentis & Reipublicæ

nomen durat, nec ulla indigent renovatione. Qualia sunt pacta Gentilia; aliâs fœdera hæreditaria vel fraternitatis dicta, nihilq; aliud sunt, quàm pactiones, quibus id agitur, ut alterâ personâ illustri extinctâ, ad alteram omnia bona cum pertinentiis & juribus ipsius deveniunt. Quale pactum fuit inter duces *Pomeraniæ & Marchiones Brandenburgiæ, inter duces Saxoniæ & Landgravios Hassiæ* Anno 1268. initum, inter duces *Saxoniæ & Duces Hennebergicos*, quorum nunc extinctorum Principatus ad Saxoniæ Duces devolutus est ex hoc pacto.

X. Hæc fœdera cum Patribus inita obligant etiam filios, ut eorum successores, qui licet tempore pacti non fuerunt & dein nec consenserint; præsumuntur tamen ejusdem eos fore voluntatis cujus fuit Pater. Hinc non solùm ob authoritatem Patriam; sed quoq; ob Majestatem Imperatoriam ducuntur; ut huic fœderi confraternitatis subscribant, subditis suis imperent, ut homagium & Juramentum fidelitatis de futuro præstent; quod tamen vivente Domino nullam subjectionem subinfert. Ut hic vigor sartus & tectus conservetur, Dominus feudorum de confirmatione petendus est, quomodo de hæreditario fœdere Saxonum & Hassorum legimus; quod Imperator confirmavit; ut investituram futuro successori concedere bono titulo possit, quem legitimum esse hæredem nôrat.

XI. Temporaria fœdera (quæ aliàs personalia) ad certum tempus, vel ad obitum Principis si nimirum cum Principe sunt contracta durant; si cum Rep. sunt inita, Principis morte finiri nequeunt. Præstat ergò in fœderibus temporariis certum tempus determinare, quamdiu fœdus sit servandum; quam incerto sese addicere, & ab JCtis quærere durationis tempus; qui quoniam ipsi inter se discordant, nec alium informare possunt.

XII. Analogi confraternitatibus & pactis gentilitiis sunt *Ganerbinatus*, qui nihil aliud sunt quàm societates & confœderationes Nobilium excellentiorum sui defendendi causa initæ adversus latrones, qui tunc temporis homines undiquaq; infestabant. Introductus tum temporis est Ganerbinatus, da das Faust-Recht in schwang gieng. Cum enim latrones in arcibus latitarent; tunc Nobiles Excellentiores munitiores extruxerunt arces, in quibus cum suis familiis & omni re familiari sese adversus insultus & invasiones latronum munirent ac defenderent. Hinc dicuntur *Ganerti* al. Ge-

mein

meln Erben vel Gönerben quasi welche ihren Erben Fried und Einigkeit gönnen/ superior eorum vocatur *Burggravius* ab antiquo verbo *Gravio* Judicem notante, qui plerumq; superior ætate esse solet.

XIII. Dividitur porro fœdus æquale & inæquale : Illud inter Respublicas & Principes viget, ubi una pars alteri tantum confert, quantum reciproce altera præstare promisit, e,g, qui inter se convenere, ne alter ab altero vectigal sumat; aut ut suppetias alter alteri ad hostes debellandos, l. limites tutandos, equestria pedestria, aut navalia in paria auxilia mittat; Hoc verò inter Resp. l. Principes; ubi una pars tantum confert, quantum potest; non quantum alteri confœderato debet, ut cum una pars auxilia promittit, altera vero aut nulla, aut longè minora.

XIV. Inæquale iterum dispesci poterit in *Miserabile & Clientelare* Miserabile est inter victorem & victos victoris tutelæ sæpè subjicientes, sic fracto *Maroboduo Germanorum* duci non aliud subsidium erat, quam Cæsaris Tiberii misericordia, qui fœdere & amicitiâ initâ tutam ei honoratamq; sedem in *Italia* dedit, *Ravennam*, si quando Suevi insolescerent *Maroboduus* rediturus in regnum ostenderetur ut Tacitus habet *lib. 2. annal. Clientare* fœdus est inter Defensorem & defensioni sese submittentes. Hinc Patroni & Clientes, ut erant Hebræi tempore Macabæorum; qui Romano Patrocinio se dabant. Hoc fœdus licet sit inter superiorem & inferiorem; de jure tamen nullam subjectionem clientibus subinfert; nec Patronis seu defensoribus imperium in Clientes largitur; De facto quidem interdum fit ut; sub amicitiæ specie Clientes opprimantur, inq; servitutē redigantur; veluti de *Augusto* in vita ejus *Suetonius* memorat; quod civitates quasdam Patrocinium ab ipso expetentes licentiâ exuerit. Verum hoc non fit ex fœdere sed præter fœdus.

XV. Nullo alio fine fœdera interim sunt instituta; quam ad repellendam vim, ad rem communem in salvo conservandam, vel injuriam à communi hoste illatam vindicandam, ad defendendam Religionem ac cultum Dei vel libertatem & Rempublicam conservandam, l. mutuam amicitiam retinendam vel mutuis auxiliis hostem reprimendum, hęc omnia explicamus h. m. quod omnia foedera ad ultimum finem tendere debeant, scil. ad gloriam Dei, intermedios scil. proximi dilectionem, Patriæ libertatem, subditorum conservationem & veræ religionis propagationem. Firmissimum enim

fœdus est rectè agere. Cavendum ergò summoperè, ne utilitatis & privati commodi vindicandæ injuriæ leviusculæ illatæ & respectu occulti honoris vani, voluptatis ludicræ, ludi jociq; gratia l. securitatem in brachio mortali quærens fœdera quis ineat.

XVI. Non ergò sunt approbandæ confœderationes ad aliorum injuriam, offensionem & oppressionem libertatis; l. etiam ad oppugnationem religionis spectantes tantumq; utilitatem absq; honestate conjunctam habentes; Reges quidē, ut Polybius ait, naturâ neminem vel amicum vel hostem dicere solent, sed ex suis semper utilitatibus amicitias æstimant. Charissimus quippe illis esse solet, qui utilitate præcipua potentiam illorum juvat & affinitates illorum pulcherrimæ censentur; quæcunq; regnum stabiliunt. Inanimis confœderatorum conjungendis & pactione fœderum, honestas spectetur; nec illa fœdera improbanda sunt, quibus publica utilitas promovetur.

XVII. Summa circumspectione in id indagandum est; ut fœdera ab utraq; parte serventur, nec levissima de causa solvantur. Sit ergò inter contrahentes (1) *Causa bonitas & æquitas*, utrum res illa quæ petitur, & ob quam petitur sit justa, non pertineat ad oppressionem religionis illa fœderis junctio (2) *potentia.* Nam societates potentiores ad societatem conferunt; quiq; se felicitate & potentia florentibus jungunt Adamantinos pro incolumitate sua clavos fingunt; qui verò impotentium societatem ambiunt, quærunt cum qua gente cadant & inclinant in caducum parietem ut Imperator Hadrianus loqui consuevit. Eam ob causam *Abimelech Philistinus Isaaco fœderatus esse voluit Gen. 26. & Milesii Jonum socii cum viderent Cyrum bellum contra Jonas meditantem, successus deficiunt & pacem fœdusq; ineunt Vid. Schönborn l. 4. c. 36.* (3) *Respicienda sunt ante acta*; quales erga alios socios & fœderatos se gesserint, cum quibus fœdera inire placet. Eodem enim modo nobiscum vivet; quo quisq; cum aliis vixerit, nisi morum dissimilitudinem ac in melius mutationem deprehendamus. (4) *Sit inter contrahentes vicinitas.* Cum iis verò, qui procul dissiti ac tardè opem ferre possunt, cautè sunt facienda fœdera juxta illud, quod in communi pro verbio dici solet: *qui procul habitant, non sunt amici & licet amicitiam non dirimant locorum sejunctio, pluriumq; montium intervalla; officia tamen, quorum gratia fœdera fiunt, interrumpunt, ut Arist. 8. Eth. Nicom.* observavit: Ex distan-

ſtantibus terrarum ſpatiis conſilia poſt res afferuntur; & *Cornel. Tacit.* l.3. hiſt. c.9. Videndum, ut fœdus cum iis præcipuè ineamus, quorum conſilia in promptu nobis eſſe posſunt; ſcil. dum in longinquis locis parantur auxilia, interim provincia noſtra domi pereat (5) *deniq; necesſaria eſt animorum conjunctio.* Non enim amicitia firma aut libertas tuta eſt; ubi animorum exulat conjunctio, ſuſpiciones variæ oriuntur ſemel facta mutantur aut violantur; & ubi eſt ſeceſſio animorum, ibi omnes ſenſim ac paulatim cladem aliquam accipiunt, quam inferunt fœderati ſub ſpecie amicitiæ. Quare opus eſt prudentia, ut ingenia eorum, quibus cum fœdera icimus, ſint explorata, ne circumveniamur; cùm familiaris contrahentium multorum mos eſſe ſoleat, allicere animos ſpe amicitiæ, & poſtmodum fallere. Pasſim ſanè Tacitus has artes fraudulentas narrat; & diſertè *Anal.* 2. c.65.66. introducit *Rheſcuporim Thraciæ Regem.* Hic alteram Thraciæ partem, quam tenebat *Cotys adſe pertracturus Cotyi* ſanciendo fœderi convivium adjicit; tractaq; in multam noctem lætitiâ incautum *Cotym,* licet ſacra regni, ejusdem familiæ Deos & hoſpitales menſas obteſtaretur catenis oneratum occidi jubet, atq; mortem ſponte ſumptam ementitur.

XVIII. Ratione loci & ſuæ naturæ reſpectu fœdera conſideravimus; Ratione fortunæ & potentiæ jam in quæſtionem venit, cum quibus ſint contrahenda fœdera; Ubi Politicorum non pauci cum potentioribus fœdera prohibent. Qualis fœderis ratio eſt inter ducem cum Regibus & potentioribus. Facilè tali occaſione fœderisq; prætextu impotens à nimis potente opprimi ſimul ac potentiori inhiandi potentis ſceptro operiri aditus poteſt. Non alia confœderatio fuit Imperatorum orientalium cum Saracenis; per quam Conſtantinopolis ingentem ſœpius pasſa eſt cladem, & cum illa totum orientale regnum; *Ita Johanni Regi Hungariæ* exitialis fuit conjunctio cum Turca alias Chriſtianorum infenſisſimo hoſte, qui ex confœderatione in regnum admiſſus miris modis id devaſtavit; Huc facit illud *Livii l.25.c.33. Id cavendum ſemper ducibus, ne ita credant exteris auxiliis; ut non plus ſui roboris ſuarumq; propriè virium in caſtris habeant.*

XIX. Ut noſtram mentem dilucidius proponamus, dicimus diverſorum foederum rationem eſſe habendam & illorum conditio-

nem probè esse contemplandam, quibuscum fœdus inire mens est; Quod fœdera, amicitiæ & commercia concernit, non est, qui repugnemus: De auxiliari bellico fœdere valde dubitamus, in quo nempe duo semper metuenda sunt; alterum, ne militia auxiliaris in commodo loco te deserat; alterum, ne temetipsum opprimat. Utriusq; horum infinita ferè dantur exempla: Prius tum maximè contingere solet, quando major utilitas ex desertione possit sperari à sociis, quà ex fideli auxilio; sunt enim fœdera pleraq; nihil aliud, quam utiles quædam amicitiæ; & rarissimum est, ut utilitatis ratione mutata robur fœderis pristinum ratum maneat. Posterius evenit potissimum, quando omnis l. potissima Re p. vis in auxiliis posita; propria autem militia est vel nulla vel perexigua l. planè contempta. Hinc constat pernitiosum esse l. ad minimum periculosum, si propriis viribus non satis instructus potentibus exteriorum auxiliis salutem Reip. credas.

XX. Ratione cultus divini occurrit quæstio illa multorum Ingeniis diu agitata; An cum in fidelibus h.e, manifestè impiis, Dei & veritatis hostibus *Turcis*, *Saracenis* & similibus fœdus ferire liceat nec ne? Quæ controversia maximè fuit mota cùm *Franciscus I. Gallarum Rex cum Imperatore Turcico* fœdus iniret; de quo *Sleidan. l. 5. com.* Alii inclinant in sententiam negativam, ut fœdus omninò nullum cum infidelibus contrahendum esse statuant. Talis enim quisq; censetur esse; quales sunt ii, quibus sese jungit.

XXI. Alii in affirmativam inclinantes, ut suam opinionem plausibiliorem reddant, inter alias rationes adducunt, quod defensio à natura cuiq; sit permissa ita ut parùm intersit, qua quis ratione se defendat, vel per se vel per alium. Unde jura ignoscunt ei, qui sangvinem suum qualitercunq; redimere satagit l. 1. *in fin. ff. de bonis eorum.* Deinde multum roboris suæ sententiæ sperant ex lege naturæ, quæ jubet hostes propulsare quovis modo adhibito, sive virtute, sive insidiis; quod cum licitum, infidelium quoq; fœdera non esse spernenda imprimis si illa contrahantur majori necessitate urgente, quæ legi subjecta non est. Et quæ sunt alia, qvibus brevitatis ergò supersedere juvat.

XXII. Pro decidenda ergo quæstione potiora videntur argumenta negantis sententiæ. Sed nulla inquies inire possint fœdera? & numne culpandi ideo, quibus pacis jura & amicitiæ cum illis inter-

interce-

tercedunt? an furcis expellendi sunt, qui cum infidelibus Turcis fœdera contrahere non verentur? Neq; adeò rigidi sumus, ut simpliciter cum infidelibus quibusvis illicita dicamus fœdera; sed hoc tamen conditione improbamus; si absit necessitas urgens & evidens. Hinc medià vià cum *Celso Mancino* c.18. in tract. de juribus Principatuum l.6, fol.253, incedimus, cujus verba hæc sunt: *Ego semper arbitratus sum, si Principi Christiano bellum sit cum Principe etiam naturæ legis, ei non licere infidelium auxilio uti simpliciter loquendo; neq; pro sui tutela atq; defensione.* At verò si bellum justum sit infideli; tunc posset Christianus Princeps contra infideles auxilio infidelium uti. Ex quibus hæc duo notanda (1) *quod contra fideles & sic contra Religionem l. Christum illicita sint fœdera cum impiis.* Ne si pangantur fœdera Principi obtingat, quod *Francisco I. Galliarum* Regi jamjam morituro exclamanti: *Perii, heu perii, qui volui esse fœderatus ei; qui est hostis Christiani nominis, Cardinali Guisio* consolationem ex sacris literis suppetenti respondisse fertur: *omnis misericordia mihi clausa est; qui ut æmuli mei l. gloriam infuscarem, vel injuriam vindicarem, fœdus pepegi cum Turca & Christianorum capita tanquàm armenta ad Mahometarum servitutem vivus vidensq; passus sum abigi.* (2) *quod contra infideles alios licita sint necessitate urgente.* Ejusmodi ergò fœdera non simplicer improbantur; sed tum demum, quando absq; ulla legitima causa quidam in fœdus descendunt cum infidelibus; ac velut ad ludum jocumq; transiliunt. Sed sufficiant hæc, hoc saltem coronidis loco addimus; fœdera diverso sanciri fine vel ut fœderati se invicem non lædant l. offendant, vel ut non tantum se non invicem offendant; sed etiam auxilia adversus hostem l. communem vel partis alterutrius mutua ferant, l. de non offendendo l. mutui auxilii; de priorum generum fœderibus nulla est inter Politicos controversia, quæ præsentem attingat quæstionem; sed tàm de posteribus.

XXIII. Nec silentio hìc præterire possumus nobilem quæstionem: Num diversæ religionis homines fœdus inire possint. Non in quæstionem veniunt fœdera Ecclesiastica & quæ religionem concernunt, neq, mixta, quæ partim religionem, partim publicam pacem concernunt; sed fœdera Politica pacificatoria seu pactiones de non offendendo. Distinguimus ante omnia inter fœdera; quæ defensionis causà sanciuntur; & inter ea quæ in oppugnando tertio mutuas poscunt operas. Priora concedimus, non autem posteriora.

Præſertim ſi is,qui bello invadendus, orthodoxam fovet Religionem. Præterea diſtinguendum putat *D. Wendlerus in Pol. p. 620.* inter fœdus quod ſine urgente neceſsitate, & abſq; evidente Reip. utilitate inſtituitur, atq; id, quod ob neceſsitatem & Reip. ſalutem pangitur. Poſterius *Vir Excellentisſimus* probat; prius improbat. Et hac ratione fœdus cum Turcis inire poſſe autumat; quod neceſsitate ſummâ impoſitum nequivit aut arte eludi & commodè declinari. Deniq; cum *magni nominis Theologo Gerbardo* diſtinguimus *inter fœdus ipſum & adhærentem confœderatorum animis perverſam opinionem*. Foedus ipſum abſolutè qvidem improbari nō poteſt, ſed qvando quis ex malo animo foedus cum diverſæ Religionis hominibus fecerit ex diffidentia Dei & fiducia in humano auxilio contra expresſum Dei interdictum, maledictus, qui fiduciam habet in homine & carnem ſtatuit brachium ſuum Jer. 17.

XXIV. His diſtinctionibus legitimè præſuppoſitis noſtræ affirmativæ veritas facilè conſtat, cùm fundamentum nobis ſuggerant & jus naturæ, atq; exempla pasſim obvia. Ex jure naturæ hauſimus, quod vim vi repellere liceat. Ut enim diverſitas Religionis iis, qui injuſtè opprimuntur nō obſtaculo eſt, quo minus ſecundum jus naturale defenſionem ejus ſuſcipiant, quem injuſtè ab aliis opprimi vident, ita etiam nihil impedit, cujuscunq; Religionis ſit, per quem nos & noſtra defendimus; quo minus illa defenſio nomine juris naturalis veniat. Nec nobis exempla deſunt ſanctorum, qui urgente neceſsitate cum diverſæ religionis hominibus fœdus percusſerunt. Sic fedus *Jacobus* fecit cum *Labano Idololatra* Gen. 31. verſ. 44. *Joſua* cum *Gibeonitis* Joſ. 9. 15. *Salomon cum Rege Hiram* 1. Reg. 5, 12. Sed quid antiqua profero Exempla, cum recentia ſint in promptu? quis neſcit Svecos Lutheranos cum Gallis Papiſtis contra Electorem Brandeburgicum & Imp. Rom. ac Danos terra mariq; bella gerentes; Danos cum Hollandis fœdera iniiſſe, ut pluribus exemplis ſuperſedeam; quorum magna ſeries adduci posſet.

XXV. Obvertit quidem Schönbornerus pro negativa, primo: Hebræis illicitum fuisſe cibum cum Ægyptiis capere Gen. 34. deinde quod jugum non ſit trahendum cum infidelibus 2. Cor. 6, 14. Verum reſpondemus ad primam relationem: Ægyptios non potuisſe cibum ſumere cum Hebræis, non ob mandatum divinum; de

quo

quo altum in sacris silentium, sed ob ritum duntaxat Patrium. Qui patet ex locis Gen.46. vers.34. & Exod.8. vers.26. ubi legimus, Ægiptios abhorruisse à vita pastoritia, & aliis, qui bobus aut aliis animantibus, quæ pro Diis celebrant, vescebantur, aut ea sacrificabant. Ad secundam rationem respondemus dist. inter conversationem Politicam & spiritualem. Hanc nobis inculcat Apostolus quando prohibet jugum trahere cum incredulis, & mundo exire, non quidem simpliciter loco, cum alias ex mundo discedendum foret, sed saltem animo ac affectu à pravorum consortio prorsus alieno.

XXVI. Huc spectat illud Aug. serm.166. de tempore: *Pax cum bonis & Dei præcepta servantibus non cum iniquis & sceleratis custodienda est; qui pacem inter se habent in peccatis suis.* Tantum ergo abest; ut ab ista concordia nos dehortetur Apostolus, quin potius seriò jubet, ut eam cum omnibus colamus Rom.17. vers.18. ubi inquit: si fieri potest; quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem colite & Hebr.12.14. Pacem sectamini cum omnibus; & infinita quæ sunt alia. Minus itaq; rectè sentire videtur, qui Anglos ob atrocissimum facinus in Regem suum paucis ab hinc annis turpiter commissum, nec in Regione sua ferre, nec pati nec pro necessitate illa, quà ipsa natura foederavit quasi ac Provincias conjunxit, commercia cum iis colere noluerunt. Prætendentes fortasse illud, quod Julius Scaliger suo tempore de iis cecinit:

Nullus Brito bonus: memini dictum esse Pöetæ;
Hoc addo: non, si sit quoq; Brito Deus.
Namq; malum tunc Brito Deum prius esse parabit;
Britonem faciat, quàm Deus ipse bonum.

Verùm enim verò omnibus, scateant vitiis Britones, odio publico & plusquam vatiniano sint digni; societate gentium tamen & omni consortio non excludi debent. Commercia igitur & contractus civiles in exteris regionibus ac remotissimis ac propinquis Insulis non solum exercere illis licebit, quod summa docet necessitas, cùm ut Pöeta canit:

Non tellus eadem parit omnia, vitibus illa
Convenit; hæc oleis, hic benè farra virent

Sed

Sed etiam ferire foedera, quæ neq; patrocinentur foederi & fines justitiæ nihil excedant.

XXVII. Hodie verò parum intereſt, an Juramenti præſtatione, an dextræ cum dextræ conjunctione l. ſtipulatione foedera contrahantur. Unicum enim verbum Principis l. ſummæ poteſtatis ad fidem ſervandam tantum valere debet; quantum privatorum jusjurandum, quod *Alphonſus Neapolitanorum Rex* verè pronunciavit. Hinc *Conradi III. Imp.Symbolum fuit: Non decere verbum Regium immutari.* Cùm enim & ſummis poteſtatibus ſit opus fide mutuâ non minus ac univerſo generi humano, illis rigidè pacta conventa ſervanda ſunt. Eo ipſo enim quo fidem fallunt; ap. alios fidem amittunt, nec aliis audent ipſi credere. Accedit quod violatione foederum ipſa Principis autoritas violetur. Quod ſi in homine privato reſcindere pacta nec ſtare promisſis in vitio ponetur; multò deformius erit in Principe, quanto hic illo meliori fuerit conditione: quippe: *omne vitium tanto conſpectius in ſe crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.*

XXVIII. Quanquam non disſimulaverimus foedera perpetua illicò fieri irrita & disſolvi posſe, non modo tempore ſed altera parte foedus violante; quodusq; adeo eſt verum, ut ſi pars contrahens ſentiat ſeſe circumventam; aut ex foedere ſupra modum læſam, posſit illa meritò à foedere reſilire & ſemetipſum quaſi in integrum reſtituere. Nam ſine injuria frangi poteſt fides ſecundum Thucydidem: ſoluti foederis culpam ſuſtineant ii, qui deſerti ad alios ſe conferunt, ſed qui jam jurati promiſerant fidem & opem re non præſtant. Cauſa autem juſtifica hæc eſt; quoniam foedus omne non niſi ex contractu obligat; cujus conditiones niſi ſerventur jure, rumpitur contractus. Interim caveri debet, ne ob quasvis offenſas & leviculas cauſas ab foedere recedatur, ſed prius controverſiis obortis ante omnia conſtituti arbitri judicent; ut deinde pars illa, quæ renuit judicato ſtare, foedifraga demum habeatur. Quod pariter conſervandis foederibus ſalutare eſt & æquitati conforme. Tibi verò ô æterne Deus, omnis boni foederis Autor, Director & Conſervator ſit laus in ſempiterna ſecula!